



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

XXIII. Epistola qualiter extraneus homo in loco filij adoptetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**

XXIII. *EPISTOLA QVALL-  
ter extraneus homo in locum  
filij adoptetur.*

**E**Go enim in Dei nomine ille.  
Dum peccatis meis facienti-  
bus orbatus sum à filiis, mihi pla-  
cuit, vt illum vna cum consensu pa-  
tris sui, in ciuitate illa, cum curia pu-  
blica, de potestate patris naturalis  
discedentem & in meam potesta-  
tem venientem in loco filiorum ad-  
optarem: quod ita & feci. Ea vero  
ratione, vt quandiu aduixero fideli-  
ter mihi præstet solatium, vel adiu-  
torium, & omnes res meas diligen-  
ter excolat; & post obitum quoque  
meum, sicut à me genitus fuisset, ita  
in omni hereditate mea per hanc  
epistolam adoptionis sit successu-  
rus; vel quicquid de supradiçtis re-  
bus meis, quantumcumq; moriens  
dereliquero, facere voluerit, iure

propriario, absq; repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inferere placuit, vt si fuerit vllus ex heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc epistolam adoptionis, aliquid contra te, aut contra eum, cui tu ipsas res dereliqueris, calūniator, aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat; & hæc adoptio gestis alligata, firma permaneat.

*XXIV. EPISTOLA QUALITER tutores publicè recipiantur.*

**L** Ex Romana constringit, vt qui tutores noluerint esse paruulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ab ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex prouinciæ illius; Dum &